

PARTIUNCULA INCIPIT DE GESTIS REGUM FRAN-  
CORUM, QUO KARLO DEFUNCTO CARLOMANNUS  
ET PIPPINUS FRATRES REGNUM ADEPTI SUNT  
FRANCORUM.

PARS I.

741.

Karlus denique maior domus defunctus est . . . . . A. Laur.  
mai.

749.

Pippinus coniugem duxit Bertradam cognomine Bertam,  
Cariberti Laudunensis comitis filiam<sup>1</sup>. . . . .

Pippinus monente sancto Bonifacio quibusdam episcopatibus  
vel medietates vel tertias rerum [reddidit<sup>a</sup>], promittens in  
postmodum omnia restituere<sup>2</sup>. . . . .

Stephanus confirmavit Pippinum unctione sancta in regem et cum eo  
inunxit duos filios eius domnum Karolum et Karlomannum in regibus  
anno Domini 754, 6. Kal. Augusti<sup>3</sup>.

757.

. . . . . Eodem anno celebravit natalem Domini<sup>cf. A. L. m.</sup>  
in Corbonaco<sup>4</sup> et pascha, et immutavit se numerus anno-<sup>cod.5.</sup>  
rum Domini in

758.

. . . . .  
. . . . .  
. . . . .

Anno ab incarnatione Domini 830.<sup>b</sup>

conventus ibidem<sup>5</sup> factus est. In quo statuit<sup>6</sup> cum  
universis Francis hostiliter in partes Britanniae<sup>c</sup> proficisci,

a) deest c.; suppl. P.; abstulit 'vel quid simile' perperam Ch. proposuit. b) in marg.  
manu scribae: . . . februa, sed reliqua abscissa. c) Britanniae 2, semper.

1) Cf. Hahn, 'Jahrb. Pippins' p. 151 sqq. 2) Cf. de hoc loco 'D.VG.'  
III, p. 68, n. 1. 3) Diem 5. Kal. Aug. affert Hilduinus de S. Dionysio;  
v. ibid. p. 70, n. 4) Cherbonne. 5) Aquisgrani; cf. Einhardi annales  
a. 829. in fine. 6) Hludowicus imperator.



maximeque hoc persuadente<sup>a</sup> Bernhardo<sup>b</sup> camerario. Et non  
 Mart. 24. multo post Aquis exivit, id est quarta feria quae dicitur  
 capud ieiunium<sup>c</sup>, valde pedum aegritudine laboriosus, et  
 [statuit<sup>d</sup>] per maritima loca illuc properare, domna impera-  
 trice in Aquis dimissa. Quod iter omnis populus moleste  
 ferens, propter difficultatem itineris eum illuc sequi noluerunt.  
 Nam aliqui ex primoribus murmurationem populi cognoscentes,  
 convocaverunt illum, ut eum a fide, quam domno imperatori  
 promissam habebant, averterent. Ideoque omnis populus,  
 qui in Britanniam ire debebat, ad Parisium se coniunxit<sup>e</sup>,  
 necnon Hlotharium<sup>f</sup> de Italia et Pippinum<sup>g</sup> de Aquitania  
 hostiliter adversum patrem<sup>h</sup> venire, ut illum de regno eicerent  
 et novercam suam perderent ac Bernardum interficerent,  
 compulerunt. Quod praefatus Bernardus sentiens, fuga lapsus  
 Barcinonam pervenit. Cumque domno imperatori illorum  
 consilium denunciatum esset<sup>i</sup>, continuo obviam illis ad Con-  
 pendium perrexit. Ibique veniens Pippinus<sup>k</sup> cum multitudine  
 populi, consensu Hlotharii<sup>l</sup> omnem potestatem regiam uxorem-  
 que eius tulerunt, ac velantes eam, miserunt Pictavis ad  
 monasterium Sanctae Radegundis; cuius etiam fratres, Con-  
 radum<sup>m</sup> videlicet atque Rodulfum, tonsorantes, per monasteria  
 Apr. 24. retruserunt. Post octavas autem paschae Hlotharius de Italia  
 perveniens, placitum illic habuit et Herebertum, fratrem Bern-  
 nardi, excaecari iussit aliquosque fideles domni imperatoris  
 in custodiam misit. His omnibus ita peractis, alium con-  
 ventum domnus imperator cum filio suo Hlothario circa  
 Kalendas Octobris Noviomago condixit<sup>n</sup>, ubi Saxones et  
 orientales Franci convenire potuissent. Nam illuc ex utra-  
 que parte, scilicet domni<sup>o</sup> imperatoris et Hlotharii, multo-  
 rum congregatus est exercitus, ibique domnus imperator,  
 recuperato<sup>p</sup> imperio, iussit auctores illius facti<sup>q</sup>, quorum  
 fraus detecta et conspiratio patefacta erat, propter illorum  
 controversiam in custodiam mitti usque ad aliud placitum,  
 quod Aquisgrani erat habiturus. Verum ab omnibus epi-  
 scopis, abbatibus, comitibus<sup>r</sup> ac ceteris Francis iudicatum  
 est, ut coniux eius, quae iniuste et sine lege ac iudicio ei  
 ablata fuerat, ad memoratum condictum placitum reduceretur  
 et, si quislibet aliquod<sup>s</sup> crimen illi obicere vellet, aut  
 se legibus defenderet aut<sup>t</sup> iudicium Francorum subiret. Et  
 inde domnus imperator ad hiemandum Aquis properavit

a) persudente *corr.* persuadente 1.    b) Bernardo 2.    c) *ita* 1. 2.    d) statuit  
 deest 1. 2.    e) iunxit 2.    f) Loth. 2, *nonnumquam*.    g) Pipinum 2, *semper*.  
 h) *e corr.* 1.    i) fuisset 1<sup>a</sup>.    k) Pipinus *h. l. etiam* 1.    l) Chlotharii 2.  
 m) Conraddum 2.    n) condixit 1. 2.    o) *ante domni rasura quinque fere litte-*  
*rarum* 1.    p) recuperata 1; o *e corr.* 2.    q) factu 1.    r) comitis 1. 2.    s) ali-  
 quot 1.    t) *ac corr.* aut 1.



anno ab incarnatione Domini 831.

Nam circa Kalendas Februarii, sicut condictum fuerat, generale placitum habuit eosque qui anno superiori propter seditionem prius in Compendio et postea in Niumago domnum imperatorem offenderant venire iussit, ut illorum causa discuteretur et diiudicaretur. Primumque a filiis eius ac deinde a cuncto qui aderat populo iudicatum est, ut capitalem subirent sententiam. Tunc domnus imperator solita pietate vitam et membra illis indulisit ipsosque per diversa loca ad custodiendum commendavit. Hlotharius vero, propter quod magis illis consenserat quam debuisset, genitoris pium commovit animum. Ad quod placitum domina imperatrix, sicut iussum fuerat, veniens, et in conspectu domni imperatoris ac filiorum eius assistens, de cunctis se obicientibus<sup>1</sup> purificare velle agebat<sup>a</sup>. Percunctatusque est<sup>2</sup> populus, si quislibet in eam aliquod<sup>b</sup> crimen obicere vellet. Cumque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundum iudicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat. Peractoque placito, Hlotharium in Italiam, Pippinum<sup>c</sup> in Aquitaniam, Hludovicum<sup>d</sup> in Baioariam ire permisit. Ipse autem circa Kalendas Mai ad Ingulehem veniens, Hlotharium illic ad se venientem honorifice suscepit. Hi quoque qui in exilium missi fuerant adducti et absoluti gratiamque domni imperatoris adepti sunt. Tertium vero generale placitum in Theodonis-villa habuit, ibique ad eum legati amiralmummin<sup>3</sup> de Perside<sup>e</sup> venientes, pacem petiverunt. Quam<sup>f</sup> mox impetrata, reversi sunt. Necnon missi Danorum eadem exorantes venerunt, et foedere firmato, ad propria repedarunt; multaeque legationes Sclavorum ad eum venientes, auditae, dispositae et absolutae sunt. Bernhardus comes adveniens, de quibus accusatus fuerat domno imperatori filiisque suis iureiurando satisfecit; filii quoque eius<sup>4</sup> qui adfuerant ad sua remearunt; Pippini<sup>g</sup> inibi diutius expectans, plures ad eum legatos direxit, ut veniret. Qui se venturum promisit et venire distulit. Ipse vero ad hie-mandum post missam sancti Martini Aquis venit. Ibi Pippi-<sup>Nov. 10.</sup> nus paucis diebus ante natalem Domini ad eum venit. Quem domnus imperator propter inoboedientiam illius non tam benigne suscepit, quam antea solitus fuerat.

a) ita 1. 2, pro aiebat. b) aliquid 2. c) Pipinum 1. 2. d) Hludovicum 2, et ita post. e) legati amiralmummin (corr. amyr., et ita 1<sup>a</sup>) inde perfide venientes 1. 2; emendavit P. f) Qua 2. g) Pipini 2; Pippinum ed.

1) i. e. quae obiciebantur; participium praesentis passivi. 2) i. e. interrogatusque est, deponens loco passivi. 3) Abd Allah Almannun. 4) Hludowici.



Anno ab incarnatione Domini 832.

831.  
Dec. 27. Indignatus Pippinus, quod a<sup>a</sup> patre non fuerat honorifice susceptus, inito consilio, in<sup>b</sup> vigilia Innocentium prima noctis hora cum paucis suorum fuga lapsus est et sub omni festinatione Aquitaniam petiit<sup>c</sup>. At domnus imperator graviter inde commotus est, nunquam aestimans filio suo talia debere contingere aut patris praesentiam fugere<sup>1</sup>. Tunc igitur convocatis<sup>d</sup> undique consiliariis, habitoque cum eis consilio, quid de his agendum esset, statutum est, ut suum generale placitum in Aurelianis civitate habendum denunciaretur, illucque Hlotharium de Italia, Hludowicum vero ad Aquis venire pariterque cum patre ad condictum placitum pergere. Quibus ita consideratis, et ubique ad hoc adnuncian- dum legatis directis, subito perventum est<sup>2</sup> ad aures piissimi imperatoris, Hludowicum cum omnibus Baiocariis, liberis et servis, et Sclavis, quos ad se convocare potuerat, Alaman- niam<sup>e</sup>, quae fratri suo Karolo a patre iam dudum data<sup>f</sup> fuerat, ingredi velle eamque vastare et diripere ac suo regno adunare, cunctumque populum regni illius ei fidelitatem pro- mittere, et his perpetratis, in Franciam cum ipso exercitu hostiliter venire et de regno patris sui, quanto plurimum potuisset, invadere sibi que subicere. Cumque hoc comper- tum esset, statim domnus<sup>g</sup> imperator, mutato placito, omnes Francos occidentales et australes necnon et Saxones obviam sibi quarto decimo Kalendas Mai Mogantiam venire prae- cepit. Hoc audientes omnes alacriter ad domnum impera- torem venire festinaverunt, et<sup>h</sup> in omnibus auxilium praebere cupientes. Quo etiam tempore eclipsis lunae tertio decimo Kalendas Mai post solis occasum facta est. Domnus impera- tor cum Mogantiam venit — ubi et ad placitum, quod eis con- stituerat, omnis populus occurrit —, mox in crastinum cum valida Francorum et Saxonum manu Hreno et Moine flumi- nibus transitis, circa Triburim villam castra metatus est. Hludowicus vero, filius eius, iuxta Wormatiam, in villa quae vocatur Langbardheim<sup>i,3</sup>, cum suo exercitu residebat, vanis pollicitationibus spem suam habens intentam, quia hoc illi a suis promissum est necnon et ab aliis qui cum eo erant comitibus<sup>k</sup> et vassallis domni imperatoris et Karoli, ut omnes australes Franci et Saxones ei auxilium ferre deberent. Et

Apr. 19.

a) ad 1. b) in vigilia *bis scr. in primo loco eras.* 1. c) petit 1. d) vocatis 2.  
e) Alemanniam 2, *semper.* f) dada 1. g) dumnus *corr. domnus* 1. h) ei *edd.*  
i) Langbardhim 1<sup>a</sup>; Lanbardheim 2. k) australes *add.* 2.

1) *De hoc loco cf. quae monuit Simson, 'Jahrb. Ludwigs', II, p. 16.*  
2) *i. e. pervenit.* 3) *Lampertheim in dextra Rheni ripa, in pago Lobodunensi, in parochia Weinheim situm.*



hoc maxime Mathfridus<sup>a.1</sup> dolose meditatus et<sup>b</sup> machinatus est. Cui domnus imperator anno priore, cum ad mortem diiudicatus fuerat, vitam et membra et hereditatem habere concessit. Cumque Hludowicus patrem suum cum tanta fidelium copia Hrenum transisse cognovit<sup>c</sup>, minorata est eius audacia, et expetitae iniustae potentiae spes ablata est. Nec mora, cum suis hominibus Baioariam per eandem viam qua venerat festinanter reversus est, plurimique eorum qui cum illo erant ad domnum imperatorem regressi sunt. Audiens domnus imperator subitaniam<sup>d</sup> eius reversionem, perrexit ad locum de quo ille redierat ibique plurima devastata invenit. Quae omnia adversa, sicut ei<sup>e</sup> mos est, patienter tulit, et lento gradu, non filium persequendo, cum omni exercitu in Alamanniam perrexit, pervenitque ad Augustburg super Lech<sup>f</sup>; ibique filium suum, qui taliter seductus fuerat, ad se venire fecit ac solita pietate quae contra se facta fuerant omnia<sup>g</sup> illi indulxit. Qui tamen iureiurando promisit, ne ultra talia perpetraret neque aliis ad hoc consentiret. Peracto itaque placito, filium suum cum pace Baioariam redire permisit, et exercitu<sup>h</sup> dimisso, ipse per Austriam ad Salz venit. Ibique illi domina imperatrix obviam occurrit. Qui una navali itinere Mogantiam venerunt; ubi et Hlotharius patri occurrit. Ubi etiam denuo annunciatum est placitum generale Kalendas Septembris Aurelianis habendum, ibique unumquemque liberum hostiliter advenire. Cumque illuc pervenit, dona annualia more solito suscipiens, mox inde ad Lemodicam festinavit. Tunc filium suum Pippinum ad se vocans, inter cetera increpavit eum, cur de eius praesentia sine licentia aufugisset. Paterno illum affectu corripere cupiens, in Franciam ire praecepit, ut in loco quo eum iniunxit moram faceret<sup>i</sup>, quousque sua emendatione patris animum mitigaret. Ille se facturum simulans et de incepto itinere regrediens, paternam iussionem implere contempsit, domno imperatore per alias partes Aquitaniae in Franciam revertente. Dumque hoc illi nunciatum esset, non tam cito in Franciam venit, sicut dispositum habuerat, sed propter hoc aliquantis diebus illis in partibus moras faciens, tandem natale Domini Cinomannis pervenit

anno ab<sup>k</sup> incarnatione Domini 833.

Nam ibi caelebratis sanctis diebus, recto itinere Aquis pervenit. Ubi non multis diebus demoranti nunciatum est

a) Madifridus 2.    b) et m. *des.* 2.    c) cognovit 1.    d) *ita* 1.    e) eis 1.  
 f) Leth 2.    g) *umnia corr.* omnia 1.    h) *exercito corr.* exercitu 2.    i) *facere* 1.  
 k) ab i. D. *des.* 2.

1) *Comes Aurelianensis.*



illi, quod iterum filii sui adunati pariter in illum insurgere et cum multa copia hostilium<sup>a</sup> inruere vellent. Qui, consilio inito, WORMATIAM ante initium quadragesimae pervenit, Apr. 13. ibique peractis illis diebus, sanctae paschae et pentecostes<sup>b</sup> Iun. 1. caelebravit. Convocatoque exercitu, obviam<sup>c</sup> illis ire disposuit, ut, si eos verbis pacificis ab hac audacia avertere nequisset<sup>d</sup>, armis, ne cristianum populum lederent, compesceret. Denique filii eius coeptum peragere cupientes, in pago Helisaice<sup>e</sup> in loco qui dicitur . . . .<sup>f.\*</sup>, se coniunxerunt, id est Hlotharius de Italia, Gregorium apostolicum secum adducens, Pippinus de Aquitania et Hlodowicus de Baioaria, cum plurima hominum multitudine. Quibus dum domnus imperator occurrisset, nullatenus eos ab eadem pertinacia compescere<sup>g</sup> potuit; sed pravis persuasionibus et falsis promissionibus populum, qui cum domno imperatore venerat, deceperunt<sup>h</sup>, ita ut omnes illum dimitterent.\*\* Nam aliqui ex illis in quos eorum ira maxime seviebat abscesserunt et in locis amicorum ac fidelium se contulerunt. Ablataque illi coniuge et in Italiam apud civitatem Tartonam<sup>i</sup> in exilium directa, Hlotharius, arrepta<sup>k</sup> potestate regia, apostolicum Romam, Pippinum in Aquitaniam et Hlodowicum in Baioariam redire permisit; ipse vero patrem secum sub custodia per Mettis usque ad Suessionis civitatem perducens, illic eum in monasterio Sancti Medardi in eadem custodia reliquit, et filium eius Karolum illi auferens, ad monasterium Pronee<sup>l.1</sup> transmisit, unde patrem nimium contristavit. Deinde conductum placitum Kalendas Octobris Hlotharius

\*) In 1 in marg. post adduntur quae in 1<sup>a</sup> leguntur, sed desunt 2: iuxta Columbur<sup>m.2</sup>, qui deinceps Campus — mentitus vocatur<sup>3</sup>; — qui dicitur Rotfelth, id est rubeus campus praemittunt edd.; sed qua fide haec Chesnius inseruerit, non constat.

\*\*) In 1 in marg. adduntur, quae desunt 2: Drogo vero, frater imperatoris, et Modoinus<sup>n.4</sup> ac Wiliricus<sup>5</sup> atque praefatus Aldricus<sup>6</sup> [qui<sup>o</sup> primum fuit abbas Sancti Amandi] episcopi, cum nonnullis episcopis aliis, abbatibus, comitibus ac reliquis suis fidelibus cum illo remanserunt.

a) hostium edd. b) festivitates add. edd. c) ob 1. 2. d) nequivissent 1. 2. e) ita 1. 2. f) spatium unius vocabuli vacat 2. g) compescere corr. compescere 1. h) decoeperunt 1. i) Cartonam 1. 2. k) arepto 1. l) ita 1. 2; Prumiae vel Promiae edd. m) Columbur (Columb. Ch. et B.) ceptus, ntitus, tur abscissa 1. n) Niodoinus 1. o) haec superscr. 1.

1) i. e. Prüm, quod modo Pronea, modo Pronia in his annalibus dicitur. 2) Columbaria, Colmar, intelligi videtur; cf. Simson II, p. 45, qui Chesnii lectionem Rothfeld genuinam habuit. 3) Ita V. Hlod. c. 48; campus mendacii Thegan. c. 42; cf. Simson II, p. 50, n. 4) Augustodunensis. 5) Bremensis. 6) Cenomannensis, ut videtur, non Senonensis, de quo P. cogitavit. Cf. Simson II, p. 50, n. Verbum praefatus, haec ex alio libro sumpta esse, indicare videtur.



in Compendio habuit. Ibique episcopi, abbates, comites et universus populus convenientes, dona annualia ei praesentaverunt fidelitatemque promiserunt. Nam illuc<sup>a</sup> quoque<sup>b</sup> legati ex Constantinopoli<sup>c</sup>, qui ad patrem fuerant destinati<sup>d</sup>, ad Hlotharium<sup>e</sup> pervenerunt eique epistolas et munera detulerunt. In quo conventu multa in domnum imperatorem crimina confixerunt<sup>f</sup>. Inter quos Ebo Remorum episcopus falsarum obiectio<sup>g</sup> inceptor extiterat. Et tam diu illum vexaverunt, quousque arma deponere habitumque mutare cogentes, liminibus<sup>g</sup> ecclesiae pepulerunt, ita ut nullus cum eo loqui auderet nisi illi qui ad hoc fuerant deputati<sup>h</sup>. Postea vero, metuentes ne ab ipso loco a quibusdam suis fidelibus eriperetur, ipse<sup>b</sup> Hlotharius ad idem monasterium veniens, patrem<sup>i</sup>, illo nolente, secum adduxit atque in Compendio sub eadem excommunicatione retinuit. Tunc, peracto placito, Hlotharius ad hiemandum Aquis properavit et patrem suum secum ire sub praedicta custodia fecit ac vigilia sancti Andreae<sup>2</sup> Aquis pervenit. Post<sup>k</sup> paucos autem dies accidit, Nov. 29. ut ob quasdam<sup>l</sup> causas Hlotharius et Hludowicus Moganti<sup>m</sup> colloquium haberent. Ubi Hludowicus fratrem<sup>n</sup> suum Hlotharium obnixe deprecatus est, ut patri illorum mitior fieret nec tam stricta custodia illum teneret. Quod illo renniente, Hludowicus tristis abscessit, deinceps cum<sup>o</sup> suis meditans, qualiter patrem suum ab eadem custodia eriperet. Hlotharius autem paucis diebus ante natale Domini Aquis pervenit,

anno ab incarnatione Domini 834.

Et domnus quidem imperator in Aquis servabatur; nihilque humanius<sup>p</sup> erga illum fiebat, sed multo crudelius adversarii eius in illum insaniebant<sup>q</sup>, die noctuque satagentes tantis afflictionibus eius animum emollire, ut sponte saeculum reliquisset et se in monasterium contulisset. At ille nunquam se facturum aiebat, quamdiu de se nullam potestatem haberet, aliquod votum. Verum cum Hludowicus comperisset, quod nihil eius petitio apud germanum praevaleret, ut mitius apud patrem egisset, misit legatos ad fratrem suum Pippinum eique innotuit omnia quae erga patrem gesta fuerant, deprecans illum, ut reminiscens paterni amoris ac reverentiae una cum illo patrem de illa tribulatione eriperet.

a) illic 2.    b) quo 1. 2.    c) venientes *add.* 2.    d) *deest* 2.    e) Cloth. 2.  
 f) confixerunt 1. 2.    g) luminibus 2, *corr.* liminibus 1.    h) vero *iterum add.* 1. 2.  
 i) patrm 1.    k) Pos *corr.* Post 1    l) quosdam 1, *corr.* quasdam 2.    m) Mogunti 2.  
 n) fratrem 1.    o) m. c. s. 2.    p) *ita* 2; humanus 1.    q) *ita* 2; saniebant 1;  
 saeviebant *ed.*

1) Cf. *episcoporum de exactione Hludowici imperatoris relationem*, LL. I, p. 366, et quae congressit Simson II, p. 66 sqq.    2) *Iam d.* 26. Nov. *chartam Aquis dedit; Böhmer Reg. Kar. nr.* 539.



At ille statim convocavit exercitum Aquitaniorum et Ultra-sequanensium, Hludowicus Baioarios, Austrasios<sup>a</sup>, Saxones. Alamannos necnon et Francos qui citra<sup>b</sup> Carbonariam consistebant<sup>1</sup>; cum quibus etiam ad Aquis properare coeperunt, Cumque hoc Hlotharius cognovisset, de Aquis abscessit et patrem suum usque ad Parisius sub memorata custodia deduxit ibique iam Pippinum cum exercitu repperit, Sequanae insolita exuberatione transire prohibitum; nam nimium<sup>c</sup> ceterorum quoque fluminum inundatio et ultra alveos insueta progressio multis non parvum intulit impedimentum. Verum cum firmiter cognovisset, Hludowicum etiam cum tanta<sup>d</sup> populi multitudine in easdem partes properare, inde perterritus, in eodem loco patre dimisso, primo<sup>2</sup> Kalendarum Martiarum die cum suis aufugit. Illo abscedente, venerunt episcopi qui praesentes aderant et in ecclesia sancti Dionisii domnum imperatorem reconciliaverunt et regalibus vestibus armisque induerunt<sup>3</sup>. Deinde filii eius Pippinus et Hludowicus cum ceteris fidelibus ad eum venientes, paterno animo gaudenter suscepti sunt. Et plurimas illis ac<sup>e</sup> cuncto populo gratias egit, quod tam alacriter illi auxilium praebere studuissent. Habitoque cum illis placito, Pippinum et reliquum populum domum redire permisit, Hludowicum autem secum Apr. 5. usque<sup>f</sup> ad Aquis venire fecit. Et peractis festis diebus<sup>4</sup>, convocavit suos consiliarios atque optimates qui in circuitu erant et cum eis tractare studuit, qualiter filium suum Hlotharium ad se vocare potuisset. Et missis legatis in unamquamque partem regni sui<sup>g</sup>, ut de sui liberatione populo adnunciarent et admonerent, ut fidelitatem quam ei promiserant adimplere studerent, et quicquid contra illum deliquerant ob amorem Dei illis indulset. Hlotharius vero, cum de Parisio proficisceretur, in Provinciae urbem Viennam pervenit, ibique commorans, multa incommoda illarum partium hominibus intulit. Domnus autem imperator ut eum illic esse comperit, misit legatos, qui ei nunciarent, quod omnia quae<sup>h</sup> contra patrem egerat illi concessisset, et ut cum pace ad eum reverteretur. Quod spernens, venire distulit, sed in eadem pertinacia perduravit. Factum est autem, cum sentirent qui fideles erant domno imperatori<sup>i</sup> in Italia, Rathol-

a) Austrisios 2.    b) circa 1<sup>a</sup>.    c) nimia corr. P.    d) cuncta 2.    e) acuncto 1; a cunctis 1<sup>a</sup>.  
 f) u. ad A. des. 2.    g) iussit add. 2.    h) quaecumque 2.  
 i) imperatore. in Italia 1; domni imperatoris 2.

1) Cf. de hoc loco praefationem.    2) i. e. pridie Kalendas Martias. Teste auctore Vitae Hludowici Pii (c. 51) postridie fugae Lotharii dies erat dominica, quae hoc anno incidebat in primum diem Martii. BOUQ.  
 3) Cf. Hludowici epistolam, Bouq. VII, p. 348.    4) Paschatis, ut videtur.



du videlicet episcopus<sup>1</sup>, Bonifacius<sup>a</sup> comes<sup>2</sup>, Pippinus<sup>3</sup>, consanguineus imperatoris, aliique quam plures, quod conjugem eius quidam inimicorum morti tradere vellent, miserunt sub omni celeritate qui illam eriperent, ereptamque usque ad praesentiam domni imperatoris in Aquis incolomem perduxerunt<sup>b</sup>. Eo etiam tempore in expeditione, quae contra Lantbertum et Matfridum aliosque Hlotharii complices directa fuerat<sup>c</sup>, interfecti sunt Odo<sup>4</sup> et Willelmus<sup>d, 5</sup>, frater<sup>e</sup> eius, ac Fulbertus comes et Theoto monasterii Sancti Martini abbas et alii quam plures.

Interim etiam classis de Danis veniens in Frisiam, aliquam partem ex illa devastavit. Et inde per Vetus-Treiectum<sup>6</sup> ad emporium quod vocatur Dorestadus<sup>f</sup> venientes, omnia diripuerunt. Homines autem quosdam occiderunt, quosdam captivos<sup>g</sup> abduxerunt partemque eius igni cremaverunt.

Hlotharius vero cum suis Cavellonem veniens, eam expugnavit ignique succendit et comites qui ibi aderant comprehendit; ex quibus tres interfecit<sup>7</sup>, alios autem secum inde sub custodia duxit; ac sororem Bernardi<sup>h</sup> sanctimoniam<sup>8</sup> in cupa positam in Ararim fluvium demergi fecit; et deinde Aurelianis venit. Quibus domnus imperator auditis, convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto. Ibi que annualia dona suscipiens, continuo ad liberandum populum contra invasores regni iter<sup>i</sup> per Tricassinorum<sup>k</sup> et Carnotum atque Dunensium<sup>9</sup> regiones, iuxta Blisum<sup>10</sup> castellum una cum filio suo Hludowico pervenit illicque<sup>l</sup> castra metatus est. Ubi etiam Pippinus, filius eius, cum exercitu in auxilium patri occurrit. Nam Hlotharius haut procul in castris residens, cum suis [praelium<sup>m</sup>] minitabatur; quod tamen minime efficere potuit. Tunc domnus imperator, solita clementia motus, misit ad illum, ut pacifice ad se veniret, quia universa quae contra illum dicta<sup>n</sup> habuerat ei suisque omnibus concederet; et Hlothario quidem Italiam, sicut tempore domni Karoli Pippinus, germanus domni imperatoris, habuerat, concessit, caeteris vero vitam, membra, hereditatem et multis beneficia perdonavit. Quem pater ad se cum suis venientem fortiter iuramento constrinxit, ne talia facere aut alicui

a) Bonef. 2.    b) perducerent 2.    c) fuerat *corr.* fuerant 1.    d) Uullelmus 2.  
 e) fr̄s *corr.* fr̄ 2.    f) Dorastadus 1<sup>a</sup>.    g) captivos 2. *Chr. N.*    h) Bernardis  
 sanctim. 1.    i) *vocabulum deesse videtur, ut monuit Simson II, p. 111, n.*    k) Trec. 2.  
 l) ibique 2.    m) *ita* 2; *deest* 1.    n) *acta vel facta? P.; delicta Simson.*

1) *Veronensis.*    2) *Tusciae.*    3) *Filius Bernhardi regis Italiae;*  
*cf. Regin. a. 818.*    4) *Comes Aurelianensis.*    5) *Comes Blesensis.*  
 6) *Utrecht.*    7) *Goshelmum et Sanilam comites, Madalelmum vassallum*  
*V. Hlud. c. 52. dicit; cf. Simson II, p. 107.*    8) *Gerbergam.*    9) *Le Dunois.*  
 10) *Blois.*



sentire<sup>a</sup> in<sup>b</sup> postmodum tam ipse quam sui deberent. Quibus confirmatis, eum in Italiam regredi fecit cum his qui eum sequi maluerunt. Ipse vero circa Aurelianis perveniens, Pippino et Hludowico cunctoque exercitui redeundi licentiam tribuit, et per Parisius ad Attiniacum veniens, ibi placitum  
 Nov. 10. cum suis consiliariis circa missam sancti Martini habuit. Ibiq̄ue negociis regni dispositis, ad Theodonis-villam ad hiemandum profectus est

anno ab incarnatione Domini 835.

Dominicae nativitatis festum hilariter, a Drogone fratre suo et Metensis urbis episcopo decentissime susceptus, in eadem civitate caelebravit. Ibiq̄ue peractis festis diebus, ad suum palatium in Theodonis-villam reversus est. In quo  
 Febr. 2. etiam circa sanctae Mariae purificationem conventum generalem habuit omnium paene totius imperii sui episcoporum et abbatum, tam canonicorum quam regularium. In quo inter caetera ecclesiasticae instituta disciplinae [illud<sup>c</sup>] summo opere ventilatum est, quod annis prioribus idem<sup>d</sup> religiosissimus imperator malivolorum Deoque adversantium tergiversatione inmerito depositus<sup>e</sup> paterno hereditarioq̄ue regno et honore et regio nomine fuerat; tandemq̄ue<sup>f</sup> ab omnibus concorditer atque unanimiter inventum atque firmatum [est<sup>c</sup>], ut, illorum factionibus divino auxilio cassatis, ipse avito restitutus honori decorique regio merito reformatus, deinceps fidelissima firmissimaque oboedientia et subiectione imperator et dominus ab omnibus haberetur. Quam inventionis suaeque confirmationis seriem et unusquisque proprio scripto comprehendit propriaeque manus scriptione roboravit. Et plenius atque copiosius communi cunctorum descriptione in unum corpus in modum libelli comprehensa totius rei patratio, qualiter acta, ventilata, inventa et omnium subscriptione denuo digneque fuerit roborata, devotissima sincerissimaque benivolentia et tantis patribus auctoritate dignissima cunctorum notitiae manifestissimum facere non distulerunt<sup>1</sup>. Nam venientes in memoratam urbem, in basilica beati Stephani protomartyris, missarumque celebratione peracta, et universis qui aderant rei ordine publice patefacto, coronam, insigne<sup>g</sup> imperii, a sacrosancto altario sublevatam sacri ac venerandi antistites<sup>h</sup> eius capiti cum maximo omnium gaudio propriis manibus restituerunt. Sed et Ebo Remorum pridem archi-

a) ita 1. 2; consentire corr. P.; sed sentire nonnumquam eodem sensu a medii aevi scriptoribus usurpatur. b) deest 2. c) deest 1. d) id est 1. e) dispositus 1. f) tandem quae corr. t. que 1. g) insigne 2. h) antestitis corr. antistitis 1, et ita 2.

1) Quae perdita sunt.



episcopus, qui eiusdem factionis velut signifer fuerat, consensu eminentiori loco in eadem ecclesia, coram omnibus libera voce professus est, eundem augustum iniuste depositum, et omnia quae adversus eum patrata fuerant inique et contra totius tramitem aequitatis fuisse machinata<sup>1</sup>, et tunc merito iuste digneque proprio imperii solio reformatum. Quibus sollempniter<sup>a</sup> transactis, ad sepedictum palatium regressi sunt; ibique Ebo in plenaria sinodo capitale crimen confessus, seque tanto, id est episcopali, ministerio indignum proclamans propriaque scriptione confirmans, sese omnium consensu atque iudicio ab eodem ministerio reddidit alienum<sup>2</sup>.

## PARS II.

### AUCTORE PRUDENTIO TRECENSI EPISCOPO.

His et aliis regni utilitatibus iure dispositis, omnibusque ad propria absolutis, ipse imperator sanctum quadragesimae tempus in eodem palatio, sacrosanctam paschae festivitatem Apr. 18. in sepedicta urbe apud memoratum Drogonem archiepiscopum celebravit, ac deinde ad placitum suum generale, quod in Stremiaco<sup>3</sup> prope Lugdunum<sup>b</sup> civitatem se habiturum<sup>c</sup> indixerat, profectus est. Quo in mense Iunio habito, et donis annualibus receptis, dispositisque markis Hispaniae, Septimaniae sive Provinciae, ad Aquisgrani reversus est. Verum dum in eodem placito moratur, Nordmanni secunda inruptione Dorastadum<sup>d</sup> irruentes, vastaverunt atque hostiliter depraedati sunt. Imperator autem graviter ferens, Aquis perveniens, disposita omni<sup>e</sup> maritima custodia, Arduenna autumnalem venationem exercuit ac deinde Aquisgrani ad hiemandum rediit

anno ab incarnatione Domini 836.

Ubi natalis Domini festivitate celebrata, missos iterum ad Hlotharium direxit, monentes<sup>f</sup> eum oboedientiae ac reverentiae paternae, pacisque illi concordiam multipliciter inculcantes<sup>g</sup>. Ad quod manifestius agnoscendum iussum est,

a) sollempner *corr.* sollempniter 1.    b) *in ras.* 1.    c) habiturum 1.    d) Dorastadum 2.    e) omnia 1.    f) d. paterna reverentia monens inflectere et ut 2, *quam pluribus omissis.*    g) incultantes 1.

1) *Deponens, passivi loco.*    2) *V. Ebonis libellum ap. Flodoardum, Hist. Rem. II, 20, SS. XIII, p. 473.*    3) *De Cremieux ad Rhodanum plerique cogitarunt; Sickel, Acta II, p. 424, Tramoye (dép. Ain) proposuit.*